



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

CXIII. Vtrum Sacramentum matrimonij conferat gratiam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

ebuium, quam ministrum vllius alterius sacramenti, vti notatum est in loco.

Ad 4. Baptismus, & quæ à baptismo dependent, sunt de necessitate salutis aeternæ, vt superius dictum est quaest. 50. Quæ autem sunt eiusmodi, omnes volunt appetitu tam innato, quam elicitio saltem sub conceptu aliquo confuso, & nemini licet, vt nolit sub conceptu etiam explicito, ac determinato, ideòque possunt aliena formali voluntate, & cum consensu interpretatio cuiusque proprio, sufficienter, & efficaciter esse volita. At matrimonium non est similiter necessarium ad salutem, & felicitatem aeternam, quin imò perfectius, & melius potest vnusquisque ad eam dirigere, ac peruenire absque matrimonio. Quæ autem sunt eiusmodi, propriae cuiusque electioni liberæ relinquuntur, nec potest in ea induci aliena voluntate. Nulla igitur est ratio paritatis à Baptismo, & eius oneribus ad matrimonium, & eius onera inducenda per alienam voluntatem absque proprio consensu libero.

Ad 5. Non dubium est, quin Deus possit conferre mari, & feminae mutuum ius suprà corpus alterius, atque aded inducere vinculum matrimoniale solafua voluntate, & independenter à consensu formaliter libero vtriusque, vel alterutrius partis. Quia Deus est Dominus corporis, & cæterorum omnium, quæ insunt vniciuique, & præterea potest voluntates maris, & feminae flectere quocunque voluerit, atque perfecte disponere ad vitam socialem, & beneuolam mutuo tranquillam, & felicem. Quo, vel maxime differt ius, & potestas Dei super omnes, & singulos homines ab omni, & qualibet humana potestate suprà aliquos sibi vtunque subiectos. Quia nulla humana potestas, potest inducere in voluntatem subditorum eam internam voluntatis dispositionem, quæ requiritur ad finem vinculi matrimonialis; atque cui negatur finis, negantur etiam media ad finem. Potest igitur Deus sola voluntate inducere vinculum, & ius matrimoniale, inter quilibet duas personas diuersi sexus, tametsi nulla humana Domini, aut Principis, aut Reipublicæ potestas efficere id ipsum vnquam possit. Quod quidem quoad vtramque partem puto esse certissimum, quidquid aduersus posteriorem partem, quæ non est æqualiter certa, leuibus mixtis fundamentis reclamet Franciscus Victoria. Cæterum nulla, aut Diuina, aut humana potestate fieri potest, vt detur sacramentum matrimonij; vtque sit sacramentale mutuum aliquod duorum vinculum, quin interueniat mutuum ipsorum consensus liber, signis externis manifestatus per eodem, existentem præsentem huius sacramenti institutionem. Quæ nimirum exigit prædictum mutuum liberum consensum signis externis manifestum. Quapropter conceditur, capacem effectus alicuius sacramenti, esse etiam absolute capacem eiusdem sacramenti. Sed negatur esse eo ipso capacem eiusdem sacramenti qualitercunque suscipiendi, & in quibusuis indiscriminatum circumstantiis. Quia videlicet deesse nihilominus possunt, aliqua, quæ sunt de conceptu essentiali sacramenti.

Ad 6. Probabilius videtur, quod docent Vasquez, Basilius Pontius, & plerique alij Authores, contractum matrimonij celebratum inter infideles nunquam deinde consequi posse rationem sacramenti, conferentis gratiam, tametsi illi baptizentur, postea, & insuper adiciant novum consensum matrimonialem, cum intentione perficiendi sacramentum. Quia sacramentum matrimonij perficitur iisdem signis externis, quibus perficitur contractus. Vnde necesse est, vt eiusmodi signa externa perfectiua contractus, procedant ex intentione perficiendi sacramentum, quæ intentio sit sufficiens, quantum est de se, ad id, quod intendit. Contractus autem matrimonij inter

infideles non perficitur, nec fieri potest, vt perficiatur tali intentione, dum sunt infideles. Quando autem baptizantur postea, iam non existit prior contractus, nec fieri potest, vt signa externa perfectiua, & completiua eius procedant ab intentione, quæ superinducitur tempore Baptismi, vt per se patet. Sed neque fieri potest, vt tempore Baptismi, aut post ipsum subinducatur nouus contractus validus. Quia iam nulla superest materia noui liberi contractus, nullumque effectum inducere potest nouus contractus; quandoquidem totus effectus præsupponitur iam positus ex vi prioris contractus. Patet verò contractum, cuius nullus est effectus, esse nullum. Cuiusmodi argumento probare ipse soleo repugnantiam duplicis causæ adæquatæ in actu secundo respectu eiusdem effectus. Itaque matrimonialis infidelium contractus, solam consequitur, rationem sacramenti late sumpti, seu speculatiui propter Baptismum postea supervenientem. Nempè contractus solubilis ante Baptismum causa fidei, altero contractum canuero ad fidem, & altero manente infideli, non est post Baptismum solubilis ea de causa, ideòque post Baptismum repræsentat perfectius insolubilem coniunctionem inter Christum, & Ecclesiam, atque hæc repræsentatio est quædam ratio sacramenti late sumpti, vt notatum est initio. Ad secundum patet ex dictis suprà art. 4.

QVÆSTIO CXIII.

Vtrum Sacramentum Matrimonij conferat gratiam?

Videtur non conferre. 1. Quia gratia datur ad solos actus meritorios vitæ aeternæ. Actus autem, ad quos ordinatur matrimonium, non sunt meritorij vitæ aeternæ. Primum enim non sunt difficiles, cum potius sit difficilis eorum omisso. Et tamen difficultas, ac arduitas de conceptu operis meritorij, vt dictum est quaest. 31. de act. hum. Deinde non est meritorium id, cuius dimissio est laudabilis. Est autem laudabilis virginitas, per quam dimittitur matrimonium cum omnibus suis actibus. Ergo nec matrimonium, nec eius actus sunt meritorij. Demum Chrysostomus hom. 1. in opere imperfecto super Matt. ad illud; *Cum esset dispensata; Matrimonium, inquit, etsi ventibus se penam non inferat, mercedem tamen non præstat.* Ergo sacramentum matrimonij non confert gratiam.

2. Vtus matrimonij est peccaminosus. Primum enim est propagatiuus peccati originalis, quod diffunditur per generationem. Actus autem propagatiuus peccati est peccaminosus. Quia est intrinsecè malum, facere, vt aliquis sit peccator. Deinde quod est contra præceptum Apostolicum, est peccatum. Vtus autem matrimonij est contra præceptum Apostoli dicentis, 1. ad Corinth. 7. 29. *Er qui habent uxores tanquam non habentes sint*; Hoc est non vtantur nuptiis, quod faciunt non nubentes. Denique opus, quod de se est turpe, semper est peccaminosum. Copula autem carnalis, ad quem ordinatur matrimonium, est opus de se turpe, tum quia internenit motus concupiscentiæ, & libidinis, qui est de se turpis vsque aded, vt ipsi quoque coniugati inde verecundentur, & refugiant eatenus aspectum aliorum; tum quia absorbetur interim ratio totaliter, vt dicitur 7. Ethic. cap. 11. sub finem; turpe verò est amittere, propter delectationem corporalem, rationem, & vim intelligendi, quæ est principale hominis bonum. Ergo ad vsum matrimonij non datur gratia.

Y y 4

3. Non

3. Non est necessaria gratia ad opera, quibus perficiendis sufficit inclinatio, & virtus homini connaturalis. Inclinatio autem, & virtus homini connaturalis sufficit ad perficienda opera, ad quæ ordinatur matrimonium, quod propterea est homini connaturale. Ergo non est necessaria gratia ad opera propria matrimonij.

4. Sacramenta non causant, nisi quod significant. Sacramentum autem matrimonij non significat gratiam. Quia perficitur solis verbis, aliisue externis interni consensus signis, quæ solum significant vinculum, & ius mutuum contrahentium, ut patet ea consideranti. Et confirmatur, quia significatio est eadem, siue contrahentes sint infideles, siue sint baptizati. Verba autem infidelium non significant gratiam. Ergo nec verba baptizatorum.

5. In professione religiosa, quæ est perpetua sicut matrimonium, & ordinatur ad opera multo difficiliora, ac perfectiora, quam matrimonium, non datur vlla gratia ex opere operato. Ergo multo minus in matrimonio.

Art. 1. Respondetur. Cum sit certum ex fide, omnia novæ legis sacramenta conferre gratiam ex opere operato iuxta dicta in communi quæst. 19. sitque rursus ex fide certum matrimonium fidelium esse sacramentum novæ legis, propriè, ac strictè tale, ut dictum est q. 110. dubitari minime potest, quin idem fidelium matrimonium causet gratiam, atque ita definiunt Conc. Florent. in decreto Eugenij, §. *novæ legis*, & Trid. tum in communi sess. 7. can. 1. & 6. de Sacramentis in genere, tum specialiter sess. 24. can. 1. de hoc sacramento.

Art. 2. Conferunt autem gratiam solum quoad augmentum. Quia non conferunt gratiam, ad omnia indiscriminatum, & universalem opera propria vitæ spiritualis, quod pertinet ad sacramenta mortuorum, conferentia primam gratiam, & vitam ipsam spiritualement, quæ est principium omnium operum salutarium; sed conferunt gratiam solum ad perfectionem operationum particularium ad quas ordinatur ex sua natura contractus matrimonialis. Quæ proinde gratia supponit vitam spiritualement, quæ est radix omnium operum bonorum. Hinc deducitur contrahentes sacramentaliter matrimonium peccare de novo lethaliter, si id faciant in statu peccati. Quia eo ipso impediunt effectum principalem sacramenti, ipsumque sacramentum indigne suscipiunt. Quod est sacrilegium, & graviter, ac lethaliter dedecens, iuxta dicta in communi, quæst. 18. An verò committant duplex peccatum lethale, alterum quatenus indigne ministrant, alterum quatenus indigne suscipiant? eodem illo in loco relictum est indecisum, nec modo occurrit ratio efficax pro alterutra parte. Quia minister huius sacramenti convenit cum ministris ordinariis aliorum sacramentorum, quoad usum potestatis conferendi gratiam, & perficiendi causam eius instrumentalem. Vnde cum ministri ordinarij aliorum sacramentorum peccent lethaliter, si perficiant sacramentum aliquod in statu peccati lethalis propter eandem rationem videtur excusari à peccato non posse minister sacramenti matrimonij. Quia verò idem huius sacramenti minister differt ab alijs ministris ordinariis sacramentorum, quatenus in perficiendo sacramento simul vitæ iure suo naturali contrahendi matrimonium, nec videtur institutus minister directè, & donatus dignitate aliqua spirituali peculiari, sed indirectè tantum, & concomitanter videatur admissus ad sacramentum ministerium: non potest efficaciter concludi, utgeti ministrum matrimonij eo genere obligationis, quo urgentur alij ordinarij sacramentorum ministri. Vtræque igitur pars est probabilis, tametsi hæc posterior videatur aliquanto verisimilior.

Art. 3. Duo superaddenda sunt circa collationem gratiæ. Alterum est sacramentum matrimonij conferre per se, seu cæteris paribus minus gratiæ, quam sacramenta cætera: tum quia hoc sacramentum est minoris perfectionis, quam cætera sacramenta, ut dictum est suprâ in communi, quæst. 35. tum quia opera, ad quæ ordinatur sunt minoris perfectionis, & difficultatis, quam opera reliquis sacramentis præfixa. Alterum est istud sacramentum, si suscipiatur cum obice gratiæ, posse postea inducere eandem gratiam, cum primum recesserit obex. Quia sacramenta, quæ non obstante obice gratiæ, conferunt suscipienti effectum aliquem ipsi intrinsecum, eidemque imponunt onus aliquod peculiare, ratione cuius insit peculiaris indigentia gratiæ, eam conferunt, cum primum tollitur obex. Sacramentum autem matrimonij, tametsi suscipiatur cum obice gratiæ, inducit effectum peculiarem, & imponit onus, pro quo ferendo est necessaria specialiter gratia. Inducit enim vinculum matrimoniale cum mutuo alterutrius contrahentis iure adversus alterum, & consequenter inducit in utramque obligationem, & onus satisfaciendi ei iuri per mutua vitæ socialis officia, mutua custodiam, tranquillitatem, & pacem, per Christianam proles educationem, & similia, quibus idoneè exhibendis patet gratiam esse specialiter necessariam. Igitur hoc sacramentum etiam si directè susceptum retinet vim conferendi gratiam, eamque confert recedente postea fictione, de quo videri potest quæst. 30.

Ad 1. Dubitari non potest, quin sint meritorij actus, ad quos ordinatur sacramentum matrimonij, si debito fine, & circumstantiis non careant. Quia sunt honesti, & ex ratione sacramenti præscribitur eidem finis supernaturalis vitæ socialis Christianæ, & procreationis, atque educationis filiorum, qui sint. Civis idonei Reipublicæ Catholicæ. Neque verò caret difficultate intentio huius ipsius finis, & observatio limitum, & modi, ac moderationis, quos præscribit idem finis. Neque verò est de conceptu actus meritorij, ne possit omitti cum laude per actum perfectiorem. Alioquin soli actus summè perfecti inter eos, qui sunt inuicem impossibiles essent meritorij. Quod est absurdum. Chrysostomus autem solam negat matrimonio rationem meriti accidentalis, quæ convenit privationi matrimonij ex peculiari difficultate, quæ inest tali privationi, non verò rationem meriti respectu præmij substantialis, quæ correspondet operi, cuius honesto procedenti ex charitate, ut dicit D. Thom. q. 41. art. 4. ad 1.

Ad 2. Certum est ex fide, & manifestum ex ratione usum matrimonij, non esse peccaminosum ex sua natura, sed licitum, & honestum, ut liquet ex ratione finis, nuper indicata, & superius expressa magis, nec rationes in contrarium quidquam convincunt. Primum enim propagatio peccati originalis non inest per se, sed purè per accidens vsui matrimonij. Quia causa eius propagationis est primum peccatum ab Adam commissum, idemque est causa, & non parentes, ut filij nascantur peccatores, ut pluribus efficaciter demonstrat Augustinus in libris de nuptiis, & concupiscentia, & alibi semper adversus Pelagianos. Iam Apostolis non imponitur præceptum, sed solum dat consilium de abstinentia à matrimonio, eiusque vsui, ut ipse disertè monet in illo ipso cap. 7. Vnde, quod dicit, ut qui nubunt, sint tantum non nubentes, non hunc habet sensum, ut abstineant ab vsu nuptiarum, sed ne propterea dimittant æternorum, ac spiritualium bonorum curam, utq; in ea bona ferantur intentione præcipua, ordinando ad eandem ipsas nuptias, atque omnem earum usum. Quod iterum disertè docetur ibidem ab Apostolo, præsertim dum

dum similiter dicit, *ut qui uiuntur mundo, sint quasi non uiuentes*. Vtrobique enim additur particula *quasi* ad indicandum, ne in usu mundi, aut nuptiarum finis hominis vltimate collocetur. Permittit itaque vtrouque usum, solumque superaddit modum vtendi necessarium ad honestatem. Demum turpitudine, quæ inseparabiliter inest vsui nuptiarum ex vehementia libidinis non est turpitudine culpabilis, sed pœnalis, proueniens ex primo peccato, absque noua coniugum eatenus libertate, qui non tenentur vitare circumstantias pœnales, operis de se honesti. Quod absorbeat ratio, & impediatur attentio ad Deum, & rationes æternas, in actuali vsu matrimonij, communè fere est aliis quoque occupationibus honestis circatemporalia. Nempe quod per breue intervallum impediatur animus ab actuali Dei, & diuinorum consideratione, non est peccatum ex genere suo, sed necessaria humanæ imbecillitatis conditio, cui proinde sufficit, vt semper Deo adhæreat habitualiter, per habitum gratiæ, qui solo tollitur peccato lethali.

Ad 3. Gratia sacramentalis non datur ad præstandum vtrouque officium naturæ, ad quod sufficit vtiue ipsa natura, sed ad superaddendum debitum finem, ac modum, ad quem non sufficit natura sine gratia.

Ad 4. Sacramenta causant, quod significant, naturaliter quidem remotè tantum, & in actu primo, seu aptitudinaliter; supernaturaliter verò, & ex institutione diuina proximè, & in actu secundo. Vtrobique autem modo proportionaliter significant gratiam, formam, & materiam matrimonij, vt superius expensum est. Quare obiectio in eo peccat, quod solam considerat significationem naturalem secundum se, & non etiam supernaturalem proueniens ex institutione diuina, quæ respectu baptizatorum est longè diuersa, quam respectu infidelium.

Ad 5. Professionem religiosam præcedit, ex natura rei vbertas auxiliorum gratiæ, eademque professio continet in se plura media conducentia ad salutem animæ, & applicat ad assiduum virtutum omnium exercitium, ex quibus prouenit multiplex augmentum gratiæ ex opere operantis, ideoque necesse non fuit, vt professioni religiosæ annexeretur augmentum gratiæ ex opere operato; sicut ob rationem contrariam opportunum, ac necessarium fuit, vt eadem annexeretur matrimonio.

QVÆSTIO CXIV.

Vtrum contractus Matrimonij inter fideles sit separabilis à Sacramento?

Videtur esse separabilis. 1. Quia Christus Dominus potuit instituere sacramentum matrimonij, resecta libera fidelium facultate, qua prius potiebantur ad perficiendum validè contractum matrimonij, absque intentione perficiendi sacramentum, & consequenter quia re ipsa perficiant sacramentum. Ex nullo autem scripturæ loco, aut Concilij, aut Patrum vllum apparet iudicium, quod Christus Dominus non sic instituerit de facto; atque præsumptio semper fauet amplitudini libertatis, homini connaturalis. Ergo credendum potius est ita de facto institutum esse sacramentum matrimonij.

2. Omne matrimonium censetur validum, de cuius inualiditate non constat liquido ex aliquo iure, vt dicitur in Extravaganti Ioannis XXII. *Antique*, de voto. Ex nullo autem iure liquido constat esse nullum matrimonium fidelium celebratum absque inten-

tione perficiendi sacramentum, immo cum intentione non perficiendi. Ergo tale fidelium matrimonium est validum. Idem autem caret ratione sacramenti. De cuius nimirum essentia est intentio ministri sacramentaliter, ac supernaturaliter operandi, vt dictum est supra in communi ex Concilio Florentino. Ergo matrimonium fidelium potest esse validum, quin sit sacramentum.

3. Matrimonia clandestina fuere valida ante Concilium Tridentinum, vt dictum est supra ex eodem Concilio. Eiusmodi autem matrimonia saltem pleraque fuere contractus purè ciuiles, vt pote celebrata absque vlla cogitatione, ne dum intentione de aliquo supernaturali, ac sacramentali, sed de solo officio naturæ. Augetur difficultas, quia matrimonia hæreticorum sunt valida, neque de hoc in genere vlla fuit vnquam dubitatio in Ecclesia; & tamen hæretici non perficiunt sacramentum. Quod nimirum nunquam intendunt perficere, cum neque credant dari tale sacramentum. Perficiunt igitur validum contractum, quin perficiant sacramentum.

4. Matrimonium celebratum inter fideles absentes per procuratorem est validum, vt liquet ex c. vlt. de Procuratoribus in 6. Et tamen, tale matrimonium nequit esse sacramentum, vt docent Caietanus, Canus, & Victorja, conuenientibus Soto, Ledesma, & Rebello: tum quia nullum aliud sacramentum conferri potest absenti, nec est vlla ratio excipiendi sacramentum matrimonij: tum quia absolutio sacramentalis nulliter datur absenti præcisè, quia verba formæ diriguntur ex se ad præsentem; diriguntur verò similiter ad præsentem verba matrimonialia, vt patet conferenti verba hæc: *Absoluite*, cum his: *Accipite in meum, in meam*, tum denique, quia si matrimonium absentium esset sacramentum, non deberent postea coniungi præsentem in facie Ecclesiæ, vt fert solemnitas eiusdem Ecclesiæ ritus.

5. Absolutio, & prolatio verborum, quibus perficitur sacramentum Baptismi, possunt peragi absque intentione perficiendi sacramentum, & consequenter quin perficiatur sacramentum; & nihilominus, tunc etiam retinent veram rationem ablutionis, & prolationis, præstantque effectus sibi connaturales perinde omnino, atque si nulla interuenisset eleuatio, ac institutio supernaturalis. Ergo verba matrimonialia retinent similiter veram rationem contractus naturalis, & præstant omnem effectum naturalem, quem præstarent nulla existente institutione, ac eleuatione supernaturali, tametsi proferantur absque intentione perficiendi sacramentum, & quin perficiatur sacramentum.

Art. 1. Respondetur, qui est membrum Reipublicæ alicuius, & intendit perficere contractum aliquem prætermisso ritu eius, inducto lege supremi Principis, consuetudine recepto, quique est fundamentalis respectu eiusdem Reipublicæ, proculdubio contrahit nulliter. Ritus autem sacramentaliter contrahendi matrimonium, est proprius, & peculiaris Reipublicæ Christianæ, inductus lege Christi Domini supremi Principis, & Conditoris eiusdem Reipublicæ, idemque ritus communis, ac vniuersalis Christianorum consuetudine receptus est, & insuper est fundamentalis respectu Reipublicæ Christianæ, cuius videlicet fundamenta præcipua sunt septem sacramenta, instituta à Christo. Cum igitur omnes Christiani sint membra Reipublicæ Christianæ, si qui eorum intendunt contrahere matrimonium prætermisso sacramento, eo ipso contrahunt nulliter vt pote nolentes celebrare contractum, qualis institutus est à Christo, quique est proprius Christianorum, sed qualis ante Christum permittebatur, quique post eius institutionem, ac legem solis permittitur infidelibus. Quæ quidem ratio, vsque ad eum efficaciter persuadetur hæc sententia, vt non parum inclinem in sensum Gregorij de Valentia, dicentis,

Non